

Novos cælos et terram novam exspectamus

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Petri apóstoli

3, 8-14

- ⁸ **U**nus hoc non latet vos, caríssimi,
quia unus dies apud Dóminum sicut mille anni,
et mille anni sicut dies unus.
- ⁹ Non tardat Dóminus promissióinem,
sicut quidam tarditátem exístimant,
sed patiénter agit in vos
nolens áliquos períre,
sed omnes ad pæniténtiam revérti.
- ¹⁰ Advéniet autem dies Dómini ut fur,
in qua cæli magno ímpetu tránsient,
eleménta vero calóre solvéntur,
et terra et ópera, quæ in ea inveniéntur.
- ¹¹ Cum hæc ómnia ita dissolvénda sint,
quales opórtet esse vos
in sanctis conversatióibus et pietátibus
- ¹² exspectántes et properántes advéntum diéi Dei,
propter quam cæli ardéntes solvéntur,
et eleménta ignis ardóre tabéscunt.
- ¹³ *Novos vero cælos et terram novam*
secúndum promíssum ipsíus exspectámus,
in quibus iustítia hábitat.
- ¹⁴ Propter quod, caríssimi, hæc exspectántes
satágite immaculáti et invioláti ei inveníri in pace.

Verbum Dómini.